Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput II

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

gulis & unicuique ſeorſim. At quinti, in qua parte Vlyſſes & Socrates aſſerunt, ſtatuuntque QVOD TE O DEVS, NEC IN MINIMO MOTV LATEAM, AVT FALLAM. Nihil igitur fortunæ in hoc corpore loci, nihil temerario, cœcoque impetui. Spargit æterna illa lux quaqua verſum ſuos radios, & uno eodemque ictu ſinus omnes, & abyſſos penetrat cœli, terræ maris: nec præeſt ſolum divinitas hæc rebus omnibus, ſed ineſt.

CAPUT II.
DE COELO.

PRimum inter corpora locum cœlo dedere ſapientes; tum quia ſimplex, tum quia ſupremo poſitum faſtigio principatum obtinuiſſe videbatur. Eandem cum ſublunaribus habere naturam, ſcripſere quidam: nec injuria. Panni inſtar veteraſcere aſſerit ſcriptura *Pſal.* 102. & videtur novarum ſtellarum innuere generatio. His, totum hoc ſpacium, quod à terra ad ſtellarum fixarum locum porrigitur, aëre confertum eſt, tanto ſubtiliore, leviore, & calidiore; quanto ad illum accedat propius, &c. Molem ſi attendis, maximum inter cætera corpus cœlum eſt, terra puncti inſtar ad illud. Numerus intra unitatem conſiſtit; in orbes tamen varie diſtinxere Aſtronomi. Placuere *Eudoxo* viginti tres, *Calippo* triginta, *Ariſtoteli* quadraginta ſeptem, *Ptolomæo* triginta & unus, *Regiomontano* triginta tres. Decem eſſe communis eſt opinio, quibus ſi cœlum cœlorum addideris, (Marmoris mundi tabulam Aquiba vocavit. *Maimo. lib. perplex.*) undecim conſurgent. Decimi inter eos ſtupenda ratio. Nam & decies majorem octavo, & globo terreno 1960. contendunt, & viginti quatuor horis 469562845. conficere milliaria ajunt. *Bodin. l. 5. Theatr.* Nec parva noni miracula. Centum annis uno progredi gradu dixere Veteres, quadraginta quatuor minutis animadvertere Neoterici. Hinc periodus, qua motus ejus abſolvitur, 49000 annorum

conti-

continet, ſi *Alphonſo* credimus, 25816, ſi *Copernico*. Anni Magni & Platonici nomen periodo inditum; Admiranda Machina! ad quam ſi maximum quodque inter mortalia accommodaveris opera, minus quam nihil erit. Hinc ne rueret, fuſum quendam finxit *Plato lib.* 10. *de Republ.* ex lumine adamantinum, octo contentum verticillis, & ab eo illi pendet Cœlum: Sed miſer quorſum id? Eſt qui ſuſtentat. Data à primordio ſtabilitatis potentia: Abibit tamen & hæc in fumos; quamque nihil ſit ſtabile, mundi quod clauditur terminis, oſtendet.

CAPUT III.

DE STELLIS.

ARTICULUS I.

De Stellarum viribus, & nutrimento.

STellas in aëre è catenis aureis pendere dixit *Machumetes*; inſertas cœlo ab opifice lucidas, & globoſas, in tempora & ſigna datas, piè agnoſcimus; lucere, & virtutem inferioribus communicare, omnibus ferè notum. Ex radiorum autem emiſſione, hæ aſtrorum in inferiora vires; voluntas humana, & artificioſorum opera, ab hoc remota cenſu. Nulla in his novarum qualitatum mixtio, corpori tantum jam ante conformato accidentaria inducitur ſpecies. Expers illa Elementorum, ſi quid patitur, mediantibus corporis fit organis; quorum temperamentum mores de facili ſequuntur. Commentum ergo collige. *Certo cœli poſitu formatos characteres valentiore de cœlo commoveri potentia.* Falſo Plato, *Animas antequam in corpora hæc deſcundunt, ſtellæ cuipiam mancipatas.* Tricæ, Singulis ſydera attributa nobis, clara divitibus, minora pauperibus, obſcura defectis, ac pro ſorte cujuſque lucentia *Plin. lib.* 2. *Hiſtor. Natur. cap.* 8. *Non tanta cœlo nobiſcum ſocietas, ut noſtro fato mortalis ſit ille*